

aliam causam requiruntur sumptus, labores, vel timenda sunt odia, pericula, etc., vel si ratione pecuniæ pro illo expensæ intervenit lucrum cessans aut damnum emergens, nulla committitur usura. Communis doctorum. Ratio clara est, quia cum hæc sint pretio æstimabilia, ratione illorum utique minoris emere licet hujusmodi debita.

103. *Secus si justus titulus adest.* — Si vero nullus hujusmodi titulus adest, vera usura committitur. Ratio patet, quia tunc præcise ob præsentem pecuniam, et anticipatam solutionem minore major pecuniæ quantitas exigitur, quod usurarium esse, ex dictis constat.

104. *Quid juris? Si creditor principalis quidem difficultatem, labores et sumptus sentire debeat in acquirendo debito; non vero emptor illius.* — Resp. II. Casu, quo in obtinendo debito creditor principalis quidem difficultatem, laborem, et expensas sentire deberet, emptor vero talis debiti illud facillime, et sine ullis expensis integrum acquirere posset, ex eo, quod apud debitorem, principem, v. g. vel magnatem specialiter in gratia existat, vel magna apud illum merita habeat, vel alias extraordinaria industria acquirendi polleat, etc. Usuræ reus non est, si debitum hujusmodi minoris emat. Molina, disp. 361, n. 10; Lessius, lib. II, cap. XXI, n. 76, et alii. Ratio est, quia debiti valor non ex statu, et quantitate emptoris, sed ex communi æstimatione desumendus est; secundum communem æstimationem autem, et seclusa gratia, seu favore principis debitoris, debitum hujusmodi minus valet; ergo.

105. Aliud foret, et usuræ reus esset, si emptor hujusmodi esset præfectus ærarii, vel talis officialis, cujus officium est, creditoribus principis ex illis ærario solutionem præstare, aut demandare, uti bene advertit Lessius, loc. cit. n. 78; Salas, de Usura, dub. 27, n. 8. Ratio est, quia hoc idem esset, ac si ab ipso principe pro centum post annum solvendis, solverentur octoginta.

106. *Etiam ob favorem causæ piæ non licet exigere aliquid ultra sortem.* — Quæritur VII. Utrum non saltem ob favorem causæ piæ, vel ob aliud opus bonum absque alio justo titulo licitum sit, exigere aliquid ultra sortem? Resp. Negative, conclusio caret controversia, ob claram decisionem juris c. *Super eo*, 4, n. t. Nam cum ibidem Pontifici proposita esset, quæstio, an possit saltem

ex dispensatione pecunia dari ad usuram, ut inde pauperes in potestate et captivitate Saracenorum detenti liberentur? respondit Papa, quod cum usurarium crimen, utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam fieri posse, non videmus; quia cum Scriptura sacra prohibeat pro vita alterius mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur.

107. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; eleemosynæ non sunt faciendæ de bonis alienis, etiam divitis, vel de usuris.* — Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ad Romanos, III, §. 8. Nec est facienda eleemosyna, vel charitas aut aliud opus pium de rebus alienis, vel de fœnore, et usuris, arg. can. *Non est putanda*, 27, cau. 4, q. 1, ibi: « Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur; quia si hac intentione, male accipitur, ut quasi bene dispensetur, gravatur potius, quam juvatur: » et infra: « Ne ergo sub prætextu eleemosynæ cum peccato studeamus aliquid accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet dicens, hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere; quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis non placat iracundiam, sed irritat: hinc scriptum est: honora Dominum de tuis laboribus, » et can. 1, cau. 14, q. 5. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore, et usuris: neque licet illicite auferre aliquid divitibus, ut detur pauperibus, vel ad alias pias causas, can. *Forte aliquis*, 3, ead. cau. et q. cum concordantiis ibid. Accedit, quod etiam ex charitate pro vita alterius conservanda non liceat mentiri, can. *Ne quis*, 14, et can. *Si quis*, 17, cau. 22, q. 2. Ergo multo minus exercere usuram; cum hæc gravius crimen sit, quam mendacium, cit. c. *Super eo*, 4.

Num vero saltem ex dispositione supremi Domini, vigore domini alti id licite fieri possit, vide dicta supra.

§ VII.

DE PACTO ANTICHRISEOS, ET LEGIS COMMISSORIE; AC DE MONTIBUS PIETATIS, AN SINT USURARI, NECNE?

108. *Pactum antichriseos, quid?* — Quæritur I. Quid, an et quando usurarium sit pactum antichriseos? Resp. I. Antichrisin (vulgo

ein Pfandschaft) esse pactum inter creditorem et debitorem, ut creditor tamdiu pignore sibi per debitorem porrecto uti, ejusque fructus lucrari possit, donec debitum sibi sit persolutum. Ita in re communis, et jam dictum est supra lib. III, tit. XXI, de *Pignor.* § 2, a n. 33.

109. *Est illicitum et usurarium, nisi adsit justus titulus.* — Resp. II. Pactum antichriseos, nisi alius justus titulus interveniat, esse illicitum ac usurarium. Ita Layman, lib. III, tract. IV, cap. XVI, n. 17, cum theologis, et canonistis communiter, contra quosdam civilistas. Patet id ex c. 1 et 2, h. t. juncto Summario ibid., ubi dicitur, quod sit usura lucrificare fructus rei pignoratæ. Unde severissime ibidem præscribitur, quod si quis sortem suam (deductis expensis) de fructibus pignoris jam receperit, absolute illud restituat debitori, vel computentur in sortem, absque alia usurarum exactione. Concordat c. *Cum contra*, 6, de *Pignorib.* ubi dicitur, quod secundum canonicas sanctiones fructus pignoris restitui, et in sortem debeant computari: item l. 1 et 2, c. de *Pignoratis action.* Accedit ratio, quia alioquin mutuator, seu creditor vi solius mutui, atque ratione dilatæ solutionis aliquid lucratur ultra sortem, videlicet fructus pignoris: quæ est manifesta usura per dicta supra. Addidi autem notanter, nisi alius titulus interveniat. Nam tunc secus foret dicendum: et quidem tales tituli plures communiter assignantur, et præsertim quatuor ibid. a Laymano referuntur, ob quos possunt percipi fructus ex pignore, sine diminutione sortis.

110. *Qualis est, si jure census, percipiuntur pignoris fructus.* — Primus est. Si fructus ex pignore vel hypotheca non superent quantitatem pensionis, quæ jure census super eadem hypotheca juxta morem patriæ constituti potest exigi. Sic, ut evitetur usura, potest subministranti pecuniam oppignorari ager, vel prædium adjecto contractu censuali (de quo plura § 8) ut ex eo fructus percipiat jure census, donec sors restituatur.

111. *Item si pignus a creditore emitur, cum pacto revendendi.* — Secundus est. Quando creditor fundum, qui pignori destinatus erat, certo pretio emat cum pacto revendendi, quamprimum debitor vult pretium refundere. Tunc enim res pignori destinata mittit naturam pignoris, et possessori tantam vero domino fructificat, ejusque peri-

culo perit. Porro valere venditionem cum pacto redemptionis appposito, est textus clarus in l. *Fundum*, c. de *Pactis, inter emptor. et venditor.* de quo plura citatus Layman.

112. *Item si pro assecuratione dotis marito nondum solutæ datur pignus.* — Tertius titulus, et casus, in quo fructus pignoris non computantur in sortem, habetur c. *Salubriter, de Usuris*, ubi dicitur, quod maritus, qui recipit pignus pro dote promissa a socero, non teneatur fructus ejus in sortem computare; sed possit interim, donec dos ei promissa solvatur, fructus pignoris absque ulla dotis imminutione percipere, ut nimirum interea habeat, unde suslineat onera matrimonii. Rationem hujus singularis constitutionis dat Pontifex ibi: « Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda: » quasi diceret: cum dos detur ad onera matrimonii supportanda, imo frequenter ad ea non sufficiat, æquum est, ut maritus, qui fructus ex dote utpote necdum soluta percipere nequit, eos interim percipiat ad eum finem ex pignore pro dote deposito.

113. Uno verbo: fructus pignoris istius conceditur marito ratione lucri cessantis, quod ex dote, si jam fuisset persoluta potuisset accipere; cum fructus dotis alioquin cedant marito ad sustinenda onera matrimonii. Hinc, ut optime Lessius, lib. II, cap. xx, n. 141, cum aliis, quamvis, si pignus creditori detur ob solam securitatem debitorum, debeant fructus ex eo percepti in sortem computari per textum n. 109 relatos. Secus tamen est, si pignus non ob solam debiti securitatem detur, sed etiam, ut interim creditor fructus ejus percipiat loco alterius rei debitæ, ut fit in causa dotis non solutæ sub cautione pignoris dati.

114. *Sicut etiam, si vasallus domino directo pro pignore dat feudum, vel emphyteusin.* — Quartus tandem titulus, et casus, in quo fructus pignoris non computantur in sortem, habetur in proprietario seu domino directo feudi, vel etiam emphyteusis: nam dominus a vasallo recipiens feudum in pignus (idem intelligunt doctores de emphyteuta, oppignorante rem emphyteuticam suo domino directo) fructus illius percipere potest; dummodo interim ab ipsius servitiis abstinere, nec tenetur fructus ejus in sortem computare. Ita enim habetur clarissime cap. 1, de *Feudis*, et c. *Conquestus, de Usuris*, juncta Glossa ibid. §. de *Feudo*.

115. *Ratio hujus.* — Rationem hujus dant doctores; quia hæc est conditio feudi. Nam cum vasallus interim non præstet servitia (uti supponit textus citatus) sed ab iisdem sit liber, suspenditur obligatio contracta inter dominum et vasallum, et res feudalis vadit ad primævam naturam; sicque dominus utitur fructibus ejus, ac si feudalis non esset coalescente directo ac utili dominio, ut notat Fagnanus in cap. 1, de Feudis, n. 3.

116. *Nec favore causæ piæ licet pactum antichriseos, seu ratione mutui percipere pignoris fructus.* — Nec objicias contra dicta n. 109, afferendo textum ex c. 1, h. t. ubi dicitur: Usuram esse, lucrifacere fructus rei pignorate, nisi forte Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur; ergo cum exceptio firmet regulam in oppositum, id erit licitum, et quidem favore causæ piæ. Non contra est, quod, ut innuit Glossa ibid. §. Beneficium, ac etiam Lugo, tom. II, de Justit. et jure, disp. 23, n. 14, ibi sermo sit de redemptione iniquæ vexationis, qua possessiones seu fructus beneficii ecclesiastici male ab iniquo possessore detinentur, nec videntur alio modo posse recuperari. Tunc enim licitum clerico, fructus pignoris occipere, idque absque usura, cum suum duntaxat recipiat, ut patet. Et hanc responsionem magis approbat eadem Glossa in c. Conquestus, h. t. nam neque favore causæ piæ licitas esse usuram, patet ex dictis supra a n. 106.

117. *De pacto legis commissoriæ. Remissive.* — Quæritur II. Quid, et an licitum, vel potius usurarium sit pactum legis commissoriæ? Resp. Ad hoc quæsitum satis patere ex dictis lib. III, tit. XXI, § 2, a n. 55, ubi late de hoc pacto.

118. *Montes pietatis, quid?* — Quæritur III. Quid sint? Unde veniant? Et an liciti, vel potius usurarii existant montes pietatis? Resp. I. Montes pietatis sunt æraria, aut granaria publica piorum hominum liberalitate ad hunc finem erecta, ut ad ea tanquam ad montem confidenter refugere, et inde sub pignoris cautione mutuum pro sua necessitate et indigentia habere valeant indigentes, ne ab usurariis, præsertim Judæis per usuram successive opprimantur, seu totaliter depauperentur.

119. *Unde originem habeant?* — Cum enim Christiani indigentes per nonnullorum christianorum iniquorum, maxime vero per Judæorum immoderatas usuram (utpote, qui

pro singulis florenis mutuo datis solent etiam per singulas hebdomadas unum circiter crucigerum exigere, sicque lucrum usurarium per anni decursum, duosque menses adæquet sortem, plurimum fuerunt pressi: plures successive celeberrimi concionatores ex ordine Fratrum Minorum, ut B. Jacobus de Marchia, Bernardinus de Felto, alique viri doctrina et sanctitate celebres, ejusmodi montes pietatis publicis suis concionibus construi fecerunt: ex quibus montibus pietatis certa quantitas pecuniæ, vel frumenti sub sufficiente cautione pignoris præstiti, indigentibus mutuo imprimis dabatur gratis, ea tamen lege, ut si mutuum accipientes præfixo tempore debitum non solverent, pignus ab eis receptum venderetur, et ex pretio mons pietatis suam sortem, mutuatarium vero residuum, si quod esset, reciperent, ministris primitus cuncta gratis ministrantibus.

120. *In iis datur aliquid supra sortem non pro lucro mentis, sed pro sustentatione ministrorum.* — Verum quia refrigerante charitate successive deerant, qui gratis, et absque mercede administrarent hujusmodi montes pietatis, necesse fuit, ministris seu administratoribus montis pietatis congruam pro sustentatione illorum assignare mercedem, quæ cum de mediis, et substantia ipsorum montium accipi congrue non potuerit, (nam alioquin summa capitalis brevi defecisset) hinc pro dicta eorum ministrorum sustentatione, sine ipsius tamen montis pietatis lucro, seu augmento, moderatum quid et necessarium (puta annuatim, tres, quatuor, aut quinque floreni pro centum) a mutuatarium exigere, et præstari coeptum est.

121. *Ob quod fugere impugnat quidem sed nihilominus tanquam liciti et meritorii approbati, ac laudati a summis pontificibus.* — Vix autem innotuit, statim aliqui, in specie Cajetanus *Comment. de Monte pietatis*, cap. 1. Sotus lib. VI, de *Justit. q. 1*, cap. vi, scriptis et verbis contradixerunt hujusmodi montibus pietatis tanquam usurariis, eo quod ultra sortem quidpiam exigere: unde controversia ista iterato fuit devoluta ad plures summos Pontifices, per quos tamen omnes, ac tandem in concilio Lateranensi Sess. 10, per Leonem X fuerunt solemniter approbati tanquam liciti, et omni specie mali carentes; ut patet ex Bulla ejusdem, *Cum inter nonnullos*, etc., et habetur inter Acta dicti concilii, cujus partem mox referemus. Quare:

122. *Et a concilio Lateranensi per bullam Leonis X etiam sub excommunicatione prohibentis, ne amplius contra illos quis prædicaret, aut disputaret.* — Resp. II. Montes pietatis esse licitos ac pios, non obstante, quod in debitam ministrorum sustentationem, atque ad Montis necessariam sustentationem, modicum quid ultra sortem recipiatur et exigatur. Patet hoc ex cit. concilio Lateranensi, et Bulla Leonis X *Inter multiplices*, estque undecima inter constitutiones dicti Pontificis in Tom. I. Bullarii Cherubini: quæ inter alia § 4, sic loquitur: Nos sacro approbante concilio declaramus, et definimus, montes pietatis ante dictos per republicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum sustentationem (ut perfertur) pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem montium recipitur, nec speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, nec ullo pacto improbari, quin imo meritorium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum, et minime usurarium putari, etc. Hæc ibi, ubi etiam § 5, sub pena excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne quis de cætero contra præmissa prædicet, aut disputet: ibi: Omnes autem religiosos, et ecclesiasticas personas, qui contra præsentis declarationes, et sanctionis formam de cætero prædicare, aut disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ penam, privilegio quocumque non obstante incurrere volumus.

123. *Ratio approbationis.* — Accedit ratio in præmissis verbis insinuata; quia quamvis in hujusmodi montibus pietatis aliquid datur ultra sortem, id tamen non exigitur, neque datur tanquam lucrum ex mutuo, seu pro augmento ipsius montis; sed propter sumptus necessarios ad ipsius montis sustentationem, ac pro stipendio ministrorum, qui Montem administrant, et semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, vel etiam quandoque vendenda, ad conficiendos libros rationum, cæteraque necessaria præstanda. Nam quia dignus est operarius mercede sua, ut inquit Christus Luc. 10, jure tales a mutuatarium sustentari merentur, in quorum gratiam laborant, ac inserviunt Monti pietatis.

124. *Perfectius tamen foret, si omnino gratis a montibus daretur mutuum, ita ut neque pro ministris aliquid ultra sortem exigeretur, uti facile fieri posset.* — Quibus non obstantibus utique perfectius adhuc et sanctius, indeque optandum foret si omnino gratis a montibus pietatis indigentibus daretur mutuum, ita, ut neque pro administratoribus, vel sustentatione illius aliqui ultra sortem dare deberent: uti facile fieri posset, si in erectione montis, prout optat etiam Leo X in citata Bulla § 4, illis verbis: Multo tamen perfectius, multoque sanctius foret, si omnino montes gratuito constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem media ex parte hujusmodi montium ministrorum solvantur expensæ, ut ad leviores aëris solvendi portionem, medio hoc pauperes gravari contingat, ad quos cum hujusmodi census assignatione pro impensarum sustentatione erigendos Christi fideles majoribus Indulgentiis invitandos decernimus.

125. *Et de facto ita fit Frisingæ.* — Vel si congregatio pia erigeretur, cujus membra gratis, et ex charitate montem administrarent, solo contenti merito, de indulgentiis inde lucrandis, prout laudabilissime, et sanctissime fit Frisingæ, ubi per reverendissimum et celsissimum S. R. I. Principem et episcopum modernum erecta, atque ab Innocentio III confirmata, variisque indulgentiis decorata est congregatio charitatis erga pauperes, cujus directores et ministri cuncta, ac inter alia etiam montem pietatis eidem incorporatum gratis administrant, ita ut mutuum a monte pietatis accipientes, nec pro montis sustentatione, nec pro ministris illius aliquid vel minimum dare debeant, ac insuper illud beneficium habeant, quod sortem, seu summam capitalem mutuo acceptam, non simul et semelolvere teneantur, sed per partes, et successive solutionem præstare possint; dummodo tempore præfixo tota summa solvatur. In qua insigni, et laudabilissima charitate ut Deus Frisingenses conservet, et alios ad imitandum efficaciter moveat, optandum et sperandum: in cujusvis loci communitate saltem aliquos reperiri sit, qui ex charitate erga Deum et proximum laborem hujusmodi gratis in se suscipere non detrectarent, modo adessent, qui opus hujusmodi sanctissimum inchoarent. (ADNOTATIO XXXV.)